



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1856**

XLVI. Der Rath zu Spandow bezeugt dem Kloster Spandow den Erwerb gewisser Besitzungen in Seeburg, am 16. April 1332.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54728)

XLVI. Der Rath zu Spandow bezeugt dem Kloster Spandow den Erwerb gewisser Besitzungen in Seeburg, am 16. April 1332.

Nos Consules Ciuitatis Spandow recognoscimus ac tenore presentium publice protestamur, quod discreti viri dominus petrus plebanus in Seborch et hynricus prigarde ac matheus Struz, nostri conciuēs, coram nobis constituti, suis verbis veridicis affirmabant, se interfuisse, quod kerstianus et Johannes dicti Clyk cum matre eorum in presentia illustris principis domini Rudolphi ducis saxonie, in castro Spandow ad vsus sanctimonialium apud ciuitatem Spandow residentium quicquid in villa seborch habuerunt resignabant et quod dominus Johannes bone memorie, quondam prepositus earundem sanctimonialium, dedit eum, pro parte grifeum et in parte album, predictis kerstiano et Johanni pro eo, vt bona que hynricus prygarde habuit, eciam ad vsus et vtilitatem sepedictarum sanctimonialium deuoluerentur. Et idem dominus prepositus hereditatem decem mansorum cum curia, quam in eadem villa Seborch habebant, pro XIII talentis denariorum brandenburgensium postea ab eisdem comparauit. Datum Spandow anno domini M<sup>o</sup>. CCC<sup>o</sup>. XXXII<sup>o</sup>. feria III ante festum pasche.

Nach dem Originale des Geh. Staats-Archives.

XLVII. Der Rath zu Spandow überläßt dem Kloster daselbst mehrere Grundstücke mit der Theilnahme an der gemeinen Weide, am 1. Januar 1334.

— Nos — Consules Spandow Civitatis — de communi consensu civium nostrorum Sanctimonialibus extra ciuitatem Spandow residentibus hortum caulium meatu lymphatico obstipatum, hortulum humuli in sine pomerii situatum, spacium agrorum circa lacum, Insulam retro montem patibuli sitam perpetuis temporibus titulo proprietatis libere et pacifice possidendum erogamus et donamus per presentes. Insuper censum nostre dicte ciuitati a Dominabus prefatis in festo sancti Martini cadentem quotis anno usque ad III solidos injungimus mitigando. Preterea foveam arguille fatemur haberi communem usui Dominarum predictarum sicut et nostre ciuitatis. Etiam pascuorum circumquaque jacentium participationem earundem Dominarum gregibus jumentorum tanquam nostris ad esum seu usum concedimus nutrimenti. Ut autem hec nostra concessio sicut et donatio intemerata perseveret a nostris successoribus et inconcussa teneatur et ratione omnem altercationis discordiam evitandi, presentes nostras litteras sigillo nostre ciuitatis sepedicte signatas fecimus eis conscribi et dari in testimonium omnium premissorum. Testes etiam horum sunt factorum honorabilis vir Dominus Wilhelmus de Sconenhufen memoratarum sanctimonialium Prepositus, Dominus Hinricus de Infirmis, Dominus Wilhelmus prouisor domus sancti spiritus, Dominus Fredericus de Pozstamp, Dominus Bartholomeus, Sacerdotes, et quam plures alii literati et laici fidedigni. Actum et datum anno domini M. CCC. XXXIV, in die circuncisionis Christi.

Aus Seibel's handschr. Urf.-Sammlung fol. 68.